

בְּתַנוּתָה  
Introductio.

**C**AUSAS corporis naturalis internas, Materiam & Formam, ut & Naturam, qvæ utramque hanc conjunctim dicit, excipiunt justo ordine externæ efficiens & Finis. Qvia enim nullum corpus à seipso est, nullum propter seipsum, non internæ tantum causæ, qvæ essentiam corporis naturalis ingrediuntur; sed etiam externæ, qvæ essentiam corporis naturalis non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, probè rimandæ sunt. Qvas disputatione hac tradere dum intendimus, cā tamen lege, ut subterfugiamus ex officio singula, qvæ fori physici non sunt, qvæ verò sunt, perspicue ac plenè, qvoad ejus fieri potest, exponamus Sit bono cum DEO.

SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

Caput Primum

*Explicans.*

Definitionis Efficientis & Finis,

*qvæ sunt*

Efficiens est causa externa, à qvâ corpus naturale producitur.

Finis est causa externa, propter quam corpus naturale producitur.

§. I. Non hominem dixerim, qui in commemoratione, & contemplatione creaturarum immemor est Creatoris Optimi, Maximi: Scelus dixerim, oblivisci & suipsius Creaturæ & DEI Creatoris sui, nec in laudes hujus debitas rapi. Enim verò in cunctis naturæ operibus ad horum Autorem DEUM Christianis respiciendum est, cum & gentes ipsæ ex operibus